UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacerdotale Ad consuetudinem S. Romanæ Ecclesiæ aliarumque ecclesiarum ex Apostolic[a]e bibliothec[a]e ac Sanctorum Patrum iurium sanctionibus, & ecclesiasticorum doctorum scriptis ...

Venetiis, 1579

Sacerdos admonere de[be]t fideles qualiter in ecclesia co[n]uersentur: & virtutes pr[a]edicare, & vitia detestari debet. c. 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-40307

Visual Library

¶ Ex dictis beati Auguſtini. Ligature execrabilium remedio
rum, quas ars medicorum non cõmendat, ſeu in ꝑcantationi-
bus, ſeu in characteribus, vel in quibuſcunq; rebus ſuſpenden
dis, atq; ligandis: in quibus oĩbus ars demonũ ex quadam pe
ſtifera ſocietate hominum ⁊ angelorũ exorta, vitãde ſunt chri
ſtiano, ⁊ oĩ penitus execratione repudiande, atq; damnande.
¶ Ex concilio Aurelianen. Ca. 3. Falſa angelorũ nomina chri-
ſtiani non colant, ſed ea tantum, que prophetica ⁊ euangelica
docet ſcriptura, ideſt Michael, Gabriel, ⁊ Raphael.

¶ Sacerdos admonere debet fideles qualiter in eccleſia conuerſari debeant, ⁊ qualiter virtutes debeant predicare, ⁊ vitia deteſtari. Ca. 7.

Admonere ẽt debent ſacerdotes plebẽ: vt cum reuerẽtia
in eccleſia conuerſentur. ¶ Ex cõcilio Turonenſi. Ca. 38.
Sacerdotes debent fideles admonere, vt quando ad eccleſiã
cõueniunt, ſine ſtrẽpitu ac tumultu eam ingrediantur. In qua
etiam quandiu orationis cauſa morantur, nequaquam inanes
inter ſe proferant cõfabulationes: ſed tempore, quo miſſarum
ſolennia celebrantur, non ſolum ab otioſis, ⁊ inutilibus ver-
bis, verumetiam a pernicioſis cogitationibus funditus abſti-
nendum ſit. ¶ Ex concilio Turonenſi. Cap. 3. Si enim domus
Dei, domus orationis vocatur, hoc debet eſſe quod dicitur:
nec ibi aliquid geri debẽt, aut recondi. Ubi enim corpus do-
mini conſeruatur, ibi angelorum preſentia nõ dubitatur adeſ-
ſe. Ubi ſanctorum reliquie recondite venerantur, nequid in-
honeſtum appareat, quod oculos ad orationem veniẽtiũ of-
fendat: nequid videatur, quod ad lucrũ temporale pertineat:
ſed omnia ſancta, omnia munda, ⁊ tantummodo ad eccleſia-
ſticum miniſterium pertinentia. ¶ Ex concilio Remenſi. Ca-
pi. 5. Obſeruandum eſt, vt menſa Chriſti, ideſt altare, vbi cor-
pus dominicum cõſecratur, vbi ſanguis eius hauritur, vbi ſan
ctorum reliquie reconduntur, vbi preces ⁊ vota populi in con
ſpectu Dei a ſacerdotibus offeruntur, cum omni veneratione
honoretur: ⁊ mũdiſsimis linteis ⁊ pallijs diligentiſsime coo-
periatur: nihilq; ſuper eo ponatur, niſi capſe cũ ſanctorũ reli
quijs, ⁊ quatuor euangelia. Expleta miſſa, calix cum patena, ⁊
ſacramentorum liber, cum veſtibus ſacerdotalibus, in mundo
loco

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

loco ſub ſera recondantur. ¶ Ex concilio Remenſi. Capi. 5.
Item pꝛedicandum eſt de dilectione Dei ⁊ pꝛoximi: de fide ⁊ ſpe in Deo: de humilitate, patientia, caſtitate, benignitate, miſericoꝛdia, de eleemoſynis, de ꝯfeſſione, ⁊ vt fratribus ex corde remittat. Qui hec ⁊ his ſimilia agunt, regnū dei cōſequentur.
¶ Ex eodē concilio Ca. 4. Item pꝛedicandum eſt pro quibus criminibus homines cum diabolo computantur: que ſic apoſtolus connumerat: Foꝛnicatio, immūditia, luxuria, idoloꝝ ſeruitus, veneficia, inimicitie, contentiones, emulationes, ire, rixe, diſſenſiones, ſecte, inuidie, homicidia, ebꝛietates, comeſſationes, ⁊ hiis ſimilia. Quia qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Et ideo hec cum omni ſtudio pꝛohibeantur.

¶ Sacerdotes debēt monere poꝛcarios ⁊ bubulcos, vt saltē diebus feſtis ad eccleſiam conueniat. Cap. 8.

¶ Ex concilio Rothoma. Cap. c.

Admonere debent ſacerdotes plebes ſubditas ſibi, vt bubulcos, atqꝫ poꝛcarios, vel alios paſtoꝛes, vel aratoꝛes, qui in agris aſſidue cōmoꝛant vel in ſyluis, ⁊ ideo velut moꝛe pecudum viuunt, in dominicis ⁊ in alijs feſtis diebus saltē, vel ad miſſam faciant, vel permittant venire. Nam ⁊ hos Chꝛiſtus precioſo ſanguine ſuo redemit. Quod ſi neglexerint, pro aiabꝰ eoꝝ abſqꝫ dubio rationem ſe reddituros ſciant. Siquidem dominus veniens in hunc mundum, non elegit oꝛatoꝛes atqꝫ nobilioꝛes quoſque: ſed piſcatoꝛes atque idiotas ſibi diſcipulos aſciuit: vt oſtēderet in facto, quod ipſe verbis in euangelio affirmat dicens: Quod hominibus eſt altum, abominabile eſt apud Deum. Et (ſalua altioꝛe intelligentia) natiuitas noſtri redemptoꝛis pꝛimo omnium paſtoꝛibus ab angelo nunciatur.

¶ Sacerdos admonere debet populum, vt mane ⁊ veſperi ſaltem pro ſe oꝛent, ⁊ pro diuerſis plagis occurrentibus. Cap. 9.

¶ Ex concilio Aurelianenſi. Cap. 10.

Item inſtituēdus eſt populus, vt ſingulis diebus, qui amplius non poteſt, ſaltem duabus vicibus oꝛent, manē ſcilicet ⁊ veſpere, dicens Symbolum ⁊ Oꝛationē dñicam: ſiue, Qui plaſmaſti me miſerere mei. Vel etiam: Deus pꝛopitius eſto mihi peccatoꝛi. Et Deo gratias agere pro quotidiane vite cōmeatibus: ⁊ quia ſe ad imaginem ſuā creare dignatus ſit,